

1795. Sternw. Kapit. DISPUTATIO  
ASTRONOMICA  
Quæstionibus & Positionibus  
adumbrata.



Quam  
FAVENTE NUMINE  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI longè EXCELLENTISSIMI,*

DN. JOHANNIS GRAFTII,  
S.S. Theologiæ Licentiati Dignissimi, Logic.  
Metaph. & Mathef. in Academiâ Tubingensi  
Professoris Ordinarii, Præceptoris sui  
plurimùm venerandi.

Defendet,  
JOHANN-LUDOVICUS MÖGLING,  
TUBING.

IN AUDITORIO ÆSTIVO,

Die Mensis Junij,  
Horis solitis.

\*\*\*\*\*  
TUBINGÆ,

TYPIs descriptis THEODORICUS WERLIN  
ANNO M DC LIX.

**NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
ET CONSULTISSIMIS  
VIRIS,**

**DN. JOHANNI GRAVIO, UTR. JUR.  
DOCTORI, EJUSDEMq; IN INCLYTA  
EBERHARDINA PROFESSORI CELE-  
BERRIMO, p. t. FACULTATIS JURI-  
DICÆ DECANO SPECTA-  
TISSIMO.**

*UT ET*

**DN. JOHANNI WURMSERO, UTR.  
JUR. DOCTORI, EJUSDEMq; IN DICTA  
ACADEMIA ANTECESSORI FAMI-  
GERATISSIMO, DN. AVO SUO  
CHARISSIMO.**

**MECOENATIBUS & FAUTORIBUS**

*Suis omni tempore venerandis.*

In Signum debitæ observantiae &  
Studiorum suorum ulteriore  
recommendationem

**Theses hasce Astronomicas**




*Consecrare & offerre  
ut voluit sic debuit*

*Observ.*

**JOHAN-LUDOVICUS MÖGLING**  
Auth. & Respond.

1.



Quæstiones & Positiones quædam  
ASTRONOMICAE.

1

I.  
Erram cum aqua constituere Globum, ortus  
& occasus Stellarum varii, aliaque Phæno-  
mena probant & confirmant.

II

Novem esse Sphæras Cœlestes, concluditur ex ob-  
servatione novem distinctorum motuum.

三

Cum Peripheriæ ad Diametrum proportio sit, ut  
22. ad 7. sequitur, si ambitus terræ cest 5400. milliarium,  
Diametrum ejus esse  $1718\frac{1}{7}$ .

IV.

Amplitudo ortiva Stellarum varia est propter varias Poli elevationes, parallelus enim stellæ in Horizonte semper magis magisque ab intersectione æquatoris & Horizontis recedit, unde amplitudinem semper incrementum sumere necesse est.

V.

Longitudinis & latitudinis locorum pulcherrima est cognitio, hinc enim exactè scire, in quo cunq[ue] p[er]nicio terrarum orbis locus collocatus sit, possumus.

V.I.

In Sphaera obliqua cuius extra Zonam torridam est Zenith, quo longissimus dies est longior, eò majus brumali frigus, minor verò calor æstatis tempore excitatur & vice versa.

A 2

7. Quasi

## VII.

Quæri potest utrum sub mundi polis etiam locum habeant horologia solaria? Negativa placet Responsio propter altitudinem Solis supra Horizontem perpetuo variabilem umbram quoque inconvenienter se habentem.

## VIII.

Circa Horizontem stellas s̄epissimè majores apparet omnes norunt: Causam assignamus, quod vaporum copia visum ita decipiat nostrum.

## IX.

Quam ob causam stellæ octavi Orbis nobis non eodem semper Cœli loco de nocte appareant, venusta est quæstio? Resp. hoc efficere Solis motum sub Zodiaco proprium. Et quia Sol singulis Diebus unum ferè progreditur gradum, hinc fit ut cotidie maturius oriantur stellæ.

## X.

Quod Solstitia & ingressus Solis in principia signorum non certo mensis Diei adhæreant, sed magis magisque regrediantur, ita ut à nato Christo ad præsens tempus tredecim Dies retro cesserint, evidens causa est, quod annum Calendarii majorem naturali assumimus.

## XI.

Circa Solstitionem æstivum & hybernum quæritur, cur per aliquot Dies nulla sensibilis longitudinis Diei artificialis Differentia apud nos deprehendatur: Respond. quod Sol circa Solsticia ratione declinationis ferè stare, & eundem Dici naturalis circulum occupare videtur, propterea quia ibi aliquot Eclipticæ gradus, ferè ad Æquatorem paralleli sunt, & declinationis discriminem valde exiguum faciunt.

12.Iu.

## XII.

Jucunda etiam occurrit quæstio, scil. Cur circa brumam & Solstitium Æstivum aër plerunque magis purus & ad exhibendas stellas commodior? Respond. quia in hyeme terra vehementi constricta frigore, æstate verò maxima gravata siccitate, exinde pauci elevantur vapores, aërem impuriorem qui reddere possent.

## XIII.

Qui fiat, quæritur? Cur non in ipso meridie quam post calor vehementissimus: Item, cur pomeridianum tempus calidius antemeridiano: Item, cur non in ipso Solstitio Æstivo, quam in diebus canicularibus major deprehendatur calor, cum tamen radii sint obliquiores? Respond. horum omnium similem esse rationem, nimirum, quod terra prioribus radiis modo sit exalfacienda, quod dum factum sequentes deinde radii expeditius & facilius operantur, calorque intensior percipitur.

## XIV.

Omnes interplanetas solus ☽ nobis rarius in conspectum venit, causam videtur esse, non tantum, quia secundum motum suum non longè à Sole recedit, sed quia latitudinem, ut plurimum australem habet, manè enim Solis ob præsentiam ejus lumen impeditur, vesperi verò cum Sole occidit.

## XV.

Præterea observatum est ☽ um in medietate Zodiaci ascidente occidentalem, in medietate verò descendente tantum orientalem, & non vice versa conspici, sed nec aliter videri posse ratione constat, cum medietas illa sit longæ descensionis, hæc verò longæ ascensionis, quod remotionem ☽ ii à Sole auget.

Vene-

4.

XVI.

Venerem interdum præcedere Solem , & nobis di-  
em interdum verò subsequi , & nobis noctem annun-  
care omnes norunt , Tyrones tamen dubitant , qui id fiat ,  
cum eandem cum Sole periodum habeat ? Respond . hoc  
propter Veneris Epicicum evenire .

XVII.

An secundum quosdam Venus , Lunæ instar , cre-  
scat & decrescat ? Negativam reponimus responsonem ,  
Q enim propter Apogæum & Perigæum interdum est  
à terra remotior , interdum propinquior , propterea iis  
Venerem crescere & decrescere videtur , etiam ab incau-  
tioribus sæpè pro nova habetur stella , dum consistit in  
Perigæo .

XVIII.

Dubitandum , quomodo Luna possit Solis radios  
nobis demere , cum tamen Sol multò major sit Lunâ ?  
Respond . hoc facere maximam Lunæ à Sole distantiam ,  
quemadmodum digitus remotiorem aliquem montem  
nobis è conspectu tollere potest .

XIX.

Terrâ majorem esse Solem , liquet , minor enim si  
esset aut æqualis , tum terra umbram projiceret in infinitum ,  
Lunæque Eclipses cæteris etiam paribus nunquam minores essent .

XX.

Duo ab Astronomis primarii in cœlo motus consti-  
tuuntur , Unus , qui primus dicitur , & ab ortu in occa-  
sum rectâ progreditur , Alter , appellatur secundus , & ab  
occasu ad ortum obliquè tendit .

XXI.

Quomodo singulæ stellæ sint in signo , ambigitur ,  
cum

## §.

cum multæ à signis Zodiaci sint remotissimæ , ut ipsa stella polaris ? Respond . Omne Cœli punctum ad signum id referri , intra cujus latitudinum Circulos per initium & finem ejusdem traductos signi consistit .

## XXII.

De Orientalibus & Occidentalibus sub eodem Parallello quæri potest , quibusnam Astra citius orientur ? Certè Orientalibus citius oriri asserimus , Occidentalibus tamen eadem quoque hora & minuto oriri , quamvis Paradoxon videri possit .

## XXIII.

Mirum quibusdam videtur , diem artificalem ad 20. horas crescere , sed evincunt certæ rationes , diem non tantum in 20. horas , sed etiam in integrum ex crescere semestre . Totus enim sub polis annus in unam tantum diem noctemque artificalem dividitur . Vernali tempore circa II. Martii Sol iis exoritur , perque integros sex menses sine circumgyratur occasu : Circa I3. Septembr. rursus infra Horizontem descendit , sub quo etiam sex commoratur menses .

## XXIV.

Sic igitur fieri necesse est Äquatori enim ibi Horizon plane unitus , Zodiacum ita dividit , ut altera media etas supra Horizontem emineat , altera sub eo lateat .

## XXV.

Mundi plagæ addiscuntur apud nos παχυλος , scilicet hora si duodecima diei faciem Soli obvertas : Ibi enim est meridies , in tergo septentrio , ad dextram occasus , ad sinistram ortus ; Inter certissimos autem modos etiam hic est , ut lineam efficias meridianam , quæ tibi meridiem exakte & septentrionem ostendet , structuraque ejus tibi ortum & occasum exhibebit .

In

## XXVI.

In hunc autem efficiatur modus : In planicie de-  
scribantur conveniente, unus duo vel plures circuli : ex  
centro stylus ad angulos erigatur rectos : Antemeridia-  
no observetur tempore, quando extremitas umbræ eun-  
dem circulum tangat, atque id punctum notetur : Post  
meridiem observetur, quando extremitas umbræ eun-  
dem circulum tangat, atque id rursus punctum notetur:  
Conjungantur hæc duo puncta linea rectâ, quæ ortum  
& occasum præcisè monstrabit, pro puncti antemeridi-  
ani & postmeridiani diligent consideratione. Hanc can-  
dem lineam perpendicularis aliqua bifariam dividens,  
linea meridionalis erit, & parte respiciente Solem in  
meridie, meridiem, opposita parte Septentrionem signi-  
ficabit.

## XXVII.

Non sine ratione dubitatur ; Utrum Luna habeat  
figuram, qualis apparet planam, an verò Sphæricam ?  
Variæ ejus apparitiones Sphæricam evincunt figuram.

## XXVIII.

In Æstate Luna plena nobis in medietate meridio-  
nali, circa ortum Solis brumalem exoritur : In hyeme  
verò in septentrionali medietate, circa ortum Solis  
astivum.

## XXIX.

Lunam cuius cornua dextræ aspicientis manui re-  
spondent, decrescere : si verò sinistram, crescere, etiam  
inducti autumant juxta versiculum :

*Dextra decrescit, sed crescit Luna sinistra.*

Vel Luna existens supra Horizontem Sole descendente,  
crescit, post Solis occasum, verò modo oriens, decre-  
scit.

Lunam

7.

XXX.

Lunam diuidiatam si videmus, colligere possumus eam in perigæo Eccentrici versari, atq; tum tardissimam esse : In Apogæo verò eandem esse velociorem ratione ejusdem Eccentrici, si plena nobis appareat.

XXXI.

Motu suo Luna duplices describit menses synodicos & periodicos : Hos vocamus temporis spatium, quo à certo Eclipticæ puncto ad idem revertitur : Illos quo à Sole digrediens ad eundem redit. Ex quo apparet Synodicum multò longiorem quam Periodicum.

XXXII.

Qui fiat, quæritur, quod cum populi à se invicem remoti Eclipsia Lunare, eodem momento videant: non eodem tempore tamen id contingat? Respond. quia non omnes eundem habent Horizontem, seu meridianum, in quibus circulis initium horarum ponitur.

XXXIII.

Vel Solis, vel Lunæ in Eclipsi, Lunam circa Nodos versari, colligere possumus, cum extra nodos remotor, nec corpus Solis attingere, nec umbram terræ ingredi posset : Hanc, illis ipsis temporibus circa Apogæum versari, statuendum est, cum ex Regulis Lunæ colligatur, tam in omni novilunio & plenilunio Eccentrici apogæum occupare.

XXXIV.

Cur Luna pluribus quam duodecim digitis deficeat quæritur, cum tamen tantum duodecim digitos ejus Diameter habeat? Respond. umbra enim terræ tanta est, ut si Luna plures quam duodecim haberet digitos, nihilominus tota obscurata possit.

B

35.Ter.



## XXXV.

Terrâ minorem esse Lunam apertè deprehendi-  
tur, quia umbrâ plane obscuratur terrenâ, fieri quod  
non posset si major esset terrâ.

## XXXVI.

Inter Astronomos dissensio quædam est de Cen-  
tro mundi dum quidam, Duce Copernico, Solem Cen-  
tro affigunt & terram circa illum circumagunt. Quæ  
sententia, ut ut apparentiis cœlestibus satisfaciat, ma-  
nifestè omni veritati physicæ adversatur, quæ affectio-  
nes proprias naturæ subjectorum adæquat.

## XXXVII.

Climatum notitia homini ingenuo non parvam  
utilitatem exhibet. De iis enim quæri potest cur, cum  
numerus climatum, quantum dies longissimus ad semi-  
horam excrescit, æqualiter augeatur, non eadem sit la-  
titudinis eorum ratio? Hujus causa est, quod scil. Paral-  
leli Äquatoris seu Circuli dierum naturalium ad eleva-  
tionem Poli æqualem inæqualiter eleventur; idque pro-  
pterea quia natura Circuli non aliter permittit.

## XXXVIII.

Quæritur an stellarum à terrâ distantia ad magnitu-  
dinem ejus sit sensibilis? Respond. observatione consta-  
re Lunam quidem maximum parallaxeos angulum ad  
gradum circiter diducere, reliquorum Planetarum, ne-  
dum stellarum fixarum, vix perceptibilem esse.

## XXXIX.

Dubitatur, an Iris secundaria, quæ semper inverso  
colorum ordine apparet, à primaria, an vero immedia-  
te à Sole efficiatur? Optica & Mathematica demon-  
stratio evincit posteriorem sententiam veram esse; quia  
radii Solares in singulis pluviae guttulis refracti, tam in  
supe-

superiore; quam inferiore earundem parte versus ocu-  
lum erumpunt, quod Iridem facit geminam, colorum-  
que seriem invertit. Quod verò secundaria semper sit  
debilior, causa est radiorum Solarium duplex refractio,  
unâ cum reflexione, in unaquaque guttula, cùm Iridem  
primariam radii bis modò refracti, & non ita  
debilitati efficiant.

QUÆSTIONES DIVERSÆ,  
CORONIDIS LOCO ADDITÆ.

# LOGICÆ.

1. *An Logica sit necessaria? Affirm.*
  2. *An Pars Philosophiae? Neg.*
  3. *An Motus sit considerationis Logicae? Neg.*
  4. *An in omni Disciplina disputandum formaliter?*
  5. *An Conclusio sit Pars Syllogismi? Neg.*

# ETHICÆ.

1. An inter pocula contracta amicitia sit rata? *Dist.*
  2. An Amicitia vera consistere possit inter absentes? *Affirm.*
  3. An mores sequantur temperamentum corporis? *Dist.*
  4. An vera Religionis ignorantia excuset gentiles? *Neg.*

# PHYSICÆ.

1. *An visio fiat emissione vel immissione radiorum? Affirm.*  
*Posterius.*
  2. *An vitrum habeat poros? Aff.*
  3. *Vtrum Cælum sit unum quoddam Corpus continuum: An  
verò in plures Sphæras contiguas distinctum? N. Post.*
  4. *Vtrum Luna habeat proprium Lumen: An verò mutuati-  
tum? Affirm. Poster.*
  5. *An ex Astris quedam Predictiones? Aff.*
  6. *An in Cælo Materias? Aff.*

Floren-

*Florentissimo Iuveni,*

**DOMINO RESPONDENTI.**

**I**n genuè prodis, Cœlum quæ fixa sequantur.  
Et surgant tacito Sidera nixa gradu  
Navita cur madidis dubius jactetur ab hœdis  
Et Steropis fuscet nubila Stella diem.  
Differis eximie, quæ Stellæ longius absint.  
Nobis & flamas qualiter Astra vomant.  
Unde tuum nomen Doctorum stemmate natum  
Quod MÖGLINGIACO, Sidera clara petet.

*Scripsit PRAESES.*

**D**ive puellum quem suo Parca semel  
Lumine quam placido  
Nascentem in hâc terrâ vident;  
Non ruris hunc clarant labores Rusticum,  
Sed sobolem Babylon  
Inter suum ponit chorum.  
**M**ÖGLING, nihil Te sic, ut alteros, juvat,  
Nosce Camœna aliud,  
Amore perculsum Poli.  
Amore, Tu qui, præter omnes, Archytæ  
Artibus in reliquis,  
Musam sequi planè expetis.  
**H**eus! Siderum dulcem cathedrâ tempore  
Ore sonum; nova deîn,  
Et magna cuivis fama fis.

Sic torrida lyra sonat  
GUSTAVI PFENDERI, Enderspacens.  
Philos. Stud. Stip. Illust.

**P**rimitias studii doctas dum mittis in aures,  
Dimidium cœpti sedulus usque tenes:  
Speratam faciant Dii te contingere metam,  
Ingenii pedibus me quoque ponè sequi.

JOH. RUDOLPHUS MÖGLING, Ph. St.  
FINIS.

X 3168526

WONA

D

### Farbkarte #13

